UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clvveri[i] Sicilia Antiqva

Clüver, Philipp

Lvgdvni Batavorvm, 1619

Cap. VI. Bidius castellum. Tissa & Centuripae opida. Cyamosorus amnis. Agyrium opidum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14145

Visual Library

CAP. VI.

Bidius caſtellum. Tiſſa & Centuripæ opida. Cyamoſorus amnis. Agyrium opidum.

LItore hactenus totius Siciliæ expoſito, ordo rerum poſtulat, uti interiora eius poſthinc dicantur. Initium igitur commodè faciemus ab eodem Peloro promontorio, versùs Pachynum & auſtrinum inſulæ latus progreſſuri.

BIDIVS *caſtellum.*

In Tauromenitano igitur agro memoratur Βίδιος φρούριον, BIDIVS *caſtellum.* Stephani epitomator: Βίδος, φρούριον ἐν Σικελίᾳ, οὐδετέρως. εὕρηται δὲ καὶ διὰ διφθόγγου, καὶ διὰ τοῦ ι. Ἔστι δὲ ἕτερον ἐν τῇ τῶν Ταυρομενιτῶν χώρᾳ Βίδιος φρούριον. τὸ ἐθνικὸν, Βιδῖνος. Id eſt: *Bidos, caſtellum in Siciliâ; neutro genere ſic dictum. ſed & cum diphthongo ſcriptum reperitur & cum i. Eſt & aliud in Tauromenitano agro caſtellum Bidius. Gentilitium eſt, Bidinus.* Quo ſitu fuerit, incertum eſt; quando nulla eius aliàs exſtat apud veteres ſcriptores mentio; nec ulla veteris alicuius loci reperiuntur hodiè in Tauromenitano agro veſtigia. Fazellus tamen, Decad. I, lib. III, cap. I, ita ſcribit: *Novi coloni, Catanâ expulſi, urbisque & conſilii indigentiâ in montanam Aetnæ montis oram profugientes, urbem, cui anteà Ineſſa nomen erat, à Catanâ* XII *ferè paſſuum millibus ad orientem diſſitam, incoluerunt: quam Aetnam adpellarunt. Ea hodiè neque veſtigiis agnoſcitur, neque quo loco ſteterit: niſi, quòd ad Maſcalim, ubi urbis veteris jacentis plura circùm arcem cernuntur hodiè monumenta, plerique, ſolâ opinione ac conjecturâ ducti, fuiſſe eam referunt.* Aetnam opidum, ſive Ineſſam, fuiſſe inter Catanam & Centuripas, quæ hodiè vulgò incolis vocantur *Centorbe*, ſuprà lib. I, cap. VIII, oſtenſum eſt. Quapropter Maſcalim, in ſeptemtrionalibus Aetnæ radicibus ſitum opidum, antiquum illud eſſe opidulum ſive caſtellum Bidium facilè equidem crederem, ni propius Catanam quàm Tauromenium locus is accederet. Fieri tamen potuit, uti ad ipſas Aetnæ radices Tauromenitanorum fines extenſi fuerint.

TISSA *opidum.*

Ad eumdem Aetnam montem locatur Ptolemæo Τίσσα πόλις, TISSA *opidum:* quod Stephani epitomatori eſt plurali numero Τίσσαι, TISSAE; Silio verò aliâ Græcâ formatione Τίσση, TISSE. à quo illud Latinorum, quod Ptolemæus, ut pleraque alia, uſurpavit, *Tiſſa.* In vulgatis Silii exemplaribus vitioſè id vocabulum ſcribi per Græcam literam Θ Thiſſe, ipſi arguunt prædicti auctores Græci. Silii verba lib. XIIII hæc ſunt:

Venit Amaſtra viris, & parvo nomine Tiſſe.

Apud Stephani epitomatorem ſunt iſta: Τίσσαι, χωρίον Σικελίας· Φίλιστος ἐννάτῳ. τὸ ἐθνικὸν, Τισσαῖος. Id eſt: *Tiſſæ, opidulum Siciliæ; auctore Philiſto, lib.* VIIII. *Gentilium inde eſt, Tiſſæus.* At Ciceroni, in Verrinâ III, ſunt Latinâ formatione TISSENSES: Plinio verò, lib. III, cap. VIII, TISSINENSES. quod vocabulum eâdem ratione formatum, ut Ciceroni ab *Agyrio Agyrinenſes*, ab *Neto Netinenſes*; qui & *Netini* ſæpius eidem auctori: ut ab *Agyrio* Plinio *Agyrini*. Ciceronis verba, dictâ Verrinâ III, hæc ſunt: *A Tiſſenſibus, perparvâ & tenui civitate, & aratoribus laborioſiſſimis, frugaliſſimisque hominibus, nonne plus lucri nomine eripitur, quàm quantum frumenti omnino exararunt?* Hinc Stephano quoque χωρίον tantùm vocatur; id eſt, *opidulum.* Eodem ſitu fuiſſe, quo nunc ad radices Aetnæ montis, apud Aſinem ſive Cántaram amnem conſpicitur opidum vulgari vocabulo *Randazzo*, placet Dominico Mario Nigro, in deſcriptione Siciliæ. cuius ego opinioni lubens accedo; quando ei loco convenit ſitus, quem Ptolemæus Tiſſæ ad Aetnam tribuit.

CENTVRIPAE *opidum.*

Porrò ad eiusdem Aetnæ radices, ad occaſum versùs hibernum opidum eſt vulgari nunc vocabulo *Centorve* & *Centorbe* incolis dictum. Vrbs ea olim fuit celebris, CENTVRIPAE Pomponio Sabino ad Aeneid. lib. VIIII, & ita Græcis literis Ptolemæo αἱ Κεντόριπαι, reliquis Græcis auctoribus per ο neutro genere τὰ Κεντόριπα, CENTVRIPA; & eodem haud dubiè numero Thucydidi ἐπὶ Κεντόριπα, hoc eſt, *adversùs Centuripa*, & Polybio περὶ Κεντόριπα, id eſt, *circa Centuripa.* nam quòd apud Diodorum lib. XX legitur εἰς τὸν Κεντόριπα, id eſt, *ad Centuripem*; minimè ipſum auctorem ita ſcripſiſſe crediderim: quando, præter jam dictos ſcriptores, etiam apud

Ciceronem ac Plinium & Solinum legitur pluralis numeri vocabulum obliquo caſu *Centuripis*. Apud Silium quod eſt *Centuripe*, quaſi ab Græco Κεντόριπη, id poëticâ licentiâ ſic formatum; ut eidem & *Myle* opidum dicitur, quod reliquis omnibus eſt plurali numero *Mylæ*; & *Drepane*, quod aliis plurali numero *Drepana*; & modò dictum *Tiſſe*, quod Stephano *Tiſſæ*: & id genus alia. Apud Antoninum in Itinerario vox CENTVRIPA, & item in Tabulâ itinerariâ geminato *pp*, ut in quibusdam Diodori exemplaribus, ſed malè, *Centurippa*, cuius generis ac numeri ab ipſis auctoribus fuerit habita, incertum eſt. ſingularis tamen numeri generisque feminini eſſe, & caſus ablativi, ut pleraque inibi alia, conjectare liceat. Apud Thucydidem, lib. VII, hæc leguntur: Ὁ Νικίας προπυθόμενος, πέμπει ἐς τῶν Σικελῶν τοὺς τὴν δίοδον ἔχοντας καὶ ξυμμάχους, Κεντόριπάς τε καὶ Ἀλικυαίους, καὶ ἄλλους, ὅπως μὴ διαφήσωσι τοὺς πολεμίους. Id eſt: *De eâ re certior factus Nicias, mittit ad eos Siculos, quà tranſiturus erat hoſtis, & ad ſocios Centuripas Alicycæosq; & alios, ne illum tranſire permittant.* Heic equidem ipſi Centuripini opidani vocantur Κεντόριπες, *Centuripes*. At quomodo ipſum opidum dicetur Diodoro ὁ Κεντόριψ, *Centorips*; ſi eo vocabulo rectè vocantur Thucydidi eius incolæ *Centoripes?* Nugæ ſunt. locum eſſe corruptum, à genuino ἐς Κεντοριπίνους τε καὶ Ἀγυριναίους, id eſt, ad *Centuripinos atque Agyrinenſeis*, mox poſteà in Agyrii opidi expoſitione oſtendam. Cæterùm *opidani* inde ſunt CENTVRIPINI Ciceroni in Verrinis ſæpius, & Plinio lib. III, cap. VIII. eodemque modo Κεντοριπῖνοι, Diodoro lib. XIII, XIIII, XVIIII, & XXII. At Melæ, lib. II, cap. VII, ipſum dicitur opidum derivativo vocabulo *Centuripinum*. *Interius*, inquit, *Leontini, Centuripinum, & Hybla, aliæque complures*. De ſitu eius ita tradit Strabo, lib. VI: Κεῖνται δ' ὑπὲρ Κατάνης τὰ Κεντόριπα, συνάπτοντα τοῖς Αἰτναίοις ὄρεσι καὶ τῷ Συμαίθῳ. Id eſt: *Sita ſunt Centuripa ſupra Catanam, montibus Aetneis contermina & Symætho amni.* Et Pompon. Sabinus ad dictum Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Supra Catanam & Centuripas Symethus fluvius eſt.* Silius, lib. XIIII:

Nec non altus Eryx, nec non è vertice celſo
Centuripe.

CYAMOSORVS *amnis.*

Polybius lib. I: Ἀντεστρατοπέδευσε δ' ὁ Ἱέρων περὶ Κεντόριπα, καὶ παρετάξατο περὶ τὸν Κυαμοσώρον ποταμόν. Hoc eſt: *Hiero apud Centuripa in conſpectu hoſtium caſtra poſuit: atque aciem ad Cyamoſorum amnem inſtruxit.* CYAMOSORVS hic *amnis* procul dubio is eſt, qui ſupra Maniacen cœnobium exorſus, Centuripas opidum præterfluit, ac mox in ſiniſtram Symæthi, qui vulgò nunc dicitur *La Iaretta*, ut ſuprà lib. I, cap. X, oſtenſum eſt, ripam effunditur; variis vocabulis, ſeu cognomentis, prout opida præfluit. Cæterò antiquiſſima Centuripinorum memoria eſt apud Thucydidem lib. VI. Καὶ ἀποπλεύσαντες, inquit, οἱ Ἀθηναῖοι ἐς Κατάνην, ἐκεῖθεν πάσῃ τῇ στρατιᾷ ἐχώρουν ἐπὶ Κεντόριπα, Σικελῶν πόλισμα. Id eſt: *Reverſi claſſe Athenienſes Catanam, cum omnibus inde copiis proficiſcuntur adversùs Centuripa, Siculorum opidulum.* Factum hoc eſſe anno tertio Olympiadis XCI, Piſandro Athenis ſummam gerente magiſtratum, ex Diodori lib. XIII perſpicitur. annus verò is fuit ante natum Chriſtum CCCCXIIII. Hinc ipſe Diodorus eius meminit, dicto libro, in rebus geſtis anni tertii Olympiadis XCIII; quum Athenis ſummum obtineret magiſtratum Callias; id eſt, anno ante natum Ieſum CCCCVI. Verba eius hæc ſunt de Gelliâ, opulentiſſimo Agrigentinorum cive: Γεγονέναι δέ φασι τὸν Γελλίαν τὸ μὲν εἶδος εὐτελῆ παντελῶς, τὸ δὲ ἦθος θαυμαστόν. ἀποσταλέντος οὖν αὐτοῦ πρὸς Κεντοριπίνους κατὰ πρεσβείαν, καὶ παρεληλυθότος εἰς τὴν ἐκκλησίαν, τὸ μὲν πλῆθος προσέπεσεν εἰς ἄκαιρον γέλωτα, θεωροῦν καταδεέστερον τῆς περὶ αὐτοῦ δόξης· ὁ δ' ὑπολαβὼν εἶπε, μὴ θαυμάζειν· ἐν ἔθει γὰρ εἶναι τοῖς Ἀκραγαντίνοις πρὸς μὲν τὰς ἐπιδόξους πόλεις ἀποστέλλειν τοὺς κρατίστους τῷ κάλλει, πρὸς δὲ τὰς ταπεινὰς καὶ λίαν εὐτελεῖς, ὁμοίους. Id eſt: *Formâ quidem Gellias exili & deſpectâ fuiſſe dicitur; ſed ingenio ac moribus admirandus. Quum itaque legati aliquando ad Centuripinos munere fungeretur, in concionem progreſſo, importunum in riſum ſe vulgus effudit, formam celebritati nominis minimè parem videns. Ad quod ille reſpondit; Hoc ne tantoperè mirarentur. ſiquidem Agrigentini pro more obſervent, uti formâ præſtantiſſimos ad inclyti nominis civitates mittant; ad humileis verò, nec magni faciendas, ſui ſimileis.* Non equidem conferenda erat cum Syracuſis, Agrigento, Selinûnte, Segeſtâ, Himerâ, Leontinis, Catanâ, & huiusmodi civitatibus. ſatis tamen celebrem atque opulentam inter mediterraneas fuiſſe urbem, inde patet, quòd ſuum habuerit δυνάστην, id eſt, *principem*, ſive *regulum*, circa eadem tempora. ſic quidpe idem Diodorus lib. XIIII: Πρὸς Ἄγυριν δὲ, τὸν Ἀγυριναίων τύραννον, καὶ Δάμωνα, τὸν δυναστεύοντα Κεντοριπίνων, συνθήκας ἐποιήσατο ὁ Διονύσιος. Id eſt: *Cum Agyri, Agyrinenſium tyranno, ac Damone, Centuripinorum principe, fœdera percuſſit Dionyſius.* Factum hoc X annis poſt illam Gelliæ legationem; Phormione ſummum Athenis gerente magiſtratum. Poſterioribus etiam temporibus opulentiam eius civitatis prædicavit Cicero, in Actione in Verrem III, his verbis: *Quid? hoc Aetnenſes ſoli dicunt? imò etiam Centuripini: qui agri Aetnenſis multo maximam partem poſſident. quorum legatis ſenatus ea mandata dedit, quæ publicè ad civitatem ipſorum pertinebant de iis injuriis, quas cives Centuripini non in ſuis, ſed in aliorum finibus acceperunt. Senatus & populus Centuripinus legatos noluit mittere. ipſi aratores Centuripini, qui numerus eſt in Siciliâ maximus, honeſtiſſimorum & locupletiſſimorum hominum, treis legatos, civeis ſuos, delegerunt; ut eorum teſtimonio non unius agri, ſed propè totius Siciliæ calamitates cognoſceretis. arant enim totâ Siciliâ ferè Centuripini. & hoc in te graviores certioresque teſtes ſunt, quòd cæteræ civitates ſuis ſolùm incommodis commoventur: Centuripini, quòd in omnibus ferè finibus habent poſſeſſiones, etiam cæterarum civitatum damna ac detrimenta ſenſerunt.* Et poſteà, Actione IIII: *Sibi iſtum negotium dediſſe, atque imperaſſe, ut Centuripis, in civitate totius Siciliæ multo maximâ & locupletiſſimâ, omne argentum conquireret, & ad ſe comportare juberet.* Et item Actione V: *Adeſt Centuripinus Philarchus, in ampliſſimâ civitate ampliſſimo loco natus.* In dictâ actione III, *inter immuneis populos* computat eoſdem Centuripinos. *Fœderatæ,* inquit, *civitates duæ ſunt, quarum decumæ venire non ſoleant; Mamertina & Taurominitana. quinque præterea ſine fœdere immunes civitates ac liberæ; Centuripina, Alæſina, Segeſtana, Halycienſis, Panormitana. præter eas omnis ager Siciliæ civitatum decumanus eſt.* Eoſdem *amicos atque ſocios* adpellat populi Romani, in Actione II. *Ego,* inquit, *ſi Metellus ſtatuas reponere Centuripinos non coëgiſſet, hæc dicerem: Videte, judices, quantum & quàm acerbum dolorem ſociorum atque amicorum animis inuſſerint iſtius injuriæ, quem Centuripinorum amiciſſima & fideliſſima civitas, quæ tantis officiis cum populo Romano conjuncta eſt, ut non ſolùm rempublicam noſtram, ſed etiam in quovis homine privato nomen ipſum Romanorum ſemper dilexerit, ea publico conſilio atque auctoritate judicârit, C. Verris ſtatuas eſſe in urbe ſuâ non oportere. recitarem decreta Centuripinorum. laudarem illam civitatem: id quod veriſſimè poſſem. commemorarem decem millia civium Centuripinorum, fortiſſimorum fideliſſimorumque ſociorum: eos omneis ſtatuiſſe, monumentum iſtius in ſuâ civitate nullum eſſe oportere.* Et Actione V: *Si civis Romanus dignus iſto negotio nemo fuit; quid civitates, quæ in amicitiâ fideque populi Romani perpetuò manſerant? ubi Segeſtana, ubi Centuripina civitas? quæ tum officiis, fide, vetuſtate, tùm etiam cognatione populum Romanum attingunt.* Et mox: *Ecquod in Siciliâ bellum geſſimus, quin Centuripinis ſociis, Syracuſanis hoſtibus uteremur?* In amicitiâ quidem atque ſocietate Romanorum utraque civitas fuit: cognatione verò uni ſoli Segeſtani populum Romanum attingere credebantur; ut ſuprà, hoc lib. II, cap. II, docui. de Centuripinis nihil tale reperias. ideóque de unis Segeſtanis id Ciceronem intellexiſſe, credendum eſt. De eâdem Centuripinorum civitate ita tradit Plinius, lib. III, cap. VIII: *Intus Latinæ condicionis, Centuripini, Netini, Segeſtani.* Et Strabo, dicto lib. VI: Τὰς δὲ Συρακούσας ἀνέλαβεν ὁ Καῖσαρ, καὶ τὴν Κατάνην· ὡς δ᾽ αὔτως Κεντόριπα, συμβαλλομένην πολλὰ πρὸς τὴν Πομπηΐου κατάλυσιν. Id eſt: *Syracuſas Auguſtus Cæſar inſtauravit, & item Catanam; ut & Centuripa. quæ urbs ad Pompeium debellandum multum ei tulit adjumenti.* De fertilitate agri Centuripini ita ſcribit Solinus cap. XI: *Quidquid Sicilia gignit, ſive ſoli ſive hominis ingenio, proximum eſt iis, quæ optima judicantur: niſi quòd fœtus terræ Centuripino croco vincitur.* Et poſteà: *Salinarum metalla, quæ ſunt aut Agrigento aut Centuripis proxima, funguntur cautium miniſterio. nam illinc exciduntur ſigna ad facies hominum vel deorum.* De hoc ita Plinius, lib. XXXI, cap. VII; quod eſt de variis generibus ſalis: *Sunt & colorum differentiæ. ruber Memphi; rufus eſt circa Oxum; Centuripis purpureus: circa Gelam in eâdem Siciliâ tanti ſplendoris, ut imaginem recipiat.* De croco autem ita lib. XXI, cap. VI: *Prima nobilitas Cilicio; & ibi in Coryco monte: dein Lycio, monte Olympo: mox Centuripino Siciliæ.*

AGYRIVM *opidum.*

Porrò à Centuripis versùs occidentem hibernum *opidum*, in ſublimi admodùm atque acuto colle ſitum, vulgò nunc vocatur incolis *S. Filippo d' Agirone*, & nonnunquam, variato paullum vocabulo, *d' Argirone*. Id priſcis mortalibus dictum fuit Ἀγύριον, AGYRIVM; ſive, ut Romani interdum ſcripsêre, Græcâ literâ *υ* in Latinam *u* convertentes, AGVRIVM. quod & Ptolemæus, ut pleraque alia, Græcis uſurpavit literis Ἀγύριον. Memoratur Ciceroni, Ptolemæo, Itinerariis Romanis, & Stephani epitomatori. Sed huic ſcribitur Ἀγύρηνα, *Agyrena.* unde vulgare nunc vocabulum *Agirone* durare videtur. Verba apud illum hæc ſunt: Ἀγύρηνα, πόλις Σικελίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀγυρηναῖος. Διονύσιος δὲ τὸ Ἀγύριον ἔφη. Id eſt: *Agyrena, opidum Siciliæ. gentilitium, Agyrenæus. Dionyſius autem dixit Agyrium.* Apud Diodorum equidem lib. XIIII τῶν Ἀγυρηναίων legitur vocabulum. at eodem libro poſteà ter & lib. XVI quater eſt Ἀγυριναίων, *Agyrinæorum:* ut duo etiam nummi antiqui habent huius opidi, apud Goltzium. unde opidi vocabulum erit Ἀγύρινα, AGYRINA. atque hinc *opidani* Ciceroni in Verrinis frequenter memorantur AGYRINENSES: quum tamen illi, in Verrem actione III & IIII, ipſum opidum dicatur AGYRIVM. à quo Plinio, lib. III, cap. VIII, ſunt *opidani* AGYRINI; & in Excerptis legationum ex Diodori lib. XXII, Ἀγυραῖοι, *Agyræi:* haud dubiè mendoſè, pro Ἀγυριναῖοι, *Agyrinæi.* quidpe in ιον deſinentia nulla poſſunt facere gentilitia in αῖοι, ſed in ῖνοι, vel ιεῖς. Illa ſanè Ἀγύρηνα, & Ἀγυρηναῖοι facta ſunt à genuinis Ἀγύρινα & Ἀγυριναῖοι· more ſcilicet poſterioris ſæculi; quo plerumque ι ante ν & loquelâ & ſcripturâ vertebatur in η. Porrò ab *Agurio* rectè formabuntur *opidani* AGVRINI. De nomine huius opidi ita commentatur Fazellus, Decad. I, lib. X: *Argyre vetuſtiſſima urbs, in editiſſimo & acuto monte ſita ad paſſuum millia* VI *Rayhalbutum ſequitur. Huic nominis cauſam ſcriptores adferunt, quòd argenteum (argyrium namque argentum Græcis ſonat) habeat ſolum; argentique apud eam ſit minera. quod ipſum uſu hac etiam ætate didicimus. ſiquidem aquarum torrentes, qui ſæviente hieme ad ima delabuntur, auri argentique plurima ſecum deferunt ramenta. Ab argento itaque Argyre denominatur.* Quinam id ita tradiderint ſcriptores, equidem ignoro. id ſcio, neminem id tradere veterum auctorum: qui unanimo omnes conſenſu ſine ρ in primâ ſyllabâ id vocabulum habent. nam quòd apud Diodorum in vulgatis exemplaribus legitur ſub initium libri I Ἀργύριον, ea ſanè ſcriptio haud probior habenda illâ, quæ eodem loco in aliis exemplaribus geminato γγ habet Ἀγγύριον. At verò id nominis opido non Græcâ lingvâ à Græcis, ſed Siculâ à Siculis conditoribus inditum fuit. longè quidpe vetuſtiorem ipſi Græci fecêre huic opido originem, quàm ipſorum fuit in inſulam commigratio; ut mox oſtendam. Quapropter uſitatum antiquis auctoribus vocabulum *Agyrium* ſive *Agurium*, retinendum ego cenſeo. Itineraria Romana ſic habent:

Antonini;		Tabulæ;	
A Thermis Catinam M. P. XCI, *ſic:*		*Thermis*	
Enna	LII.	*Enna*	....
Agurio	III.	*Agurio*	XVIII.
Centuripa	XII.	*Centuripa*	XII.
Ethna	XVII.	*Aethna*	XII.
Catina	XII.	....	....

Inter Ennam, quæ nunc vulgò vocatur *Caſtro Ianni*, & Agyrium quum XIII ſint circiter millia paſſuum, inter Centuripas verò & Aetnam opidum, (quod nunc cœnobium eſſe, XII millia paſſuum à Catanâ diſſitum, vulgari vocabulo *S. Nicólo di Rene*, ſuprà lib. I, cap. VIIII, docui) quum ſint millia XVII; in Antonini itinerario ad *Agurii* vocabulum interiiſſe notam X, in Tabulâ autem notam V, quæ erat ad vocabulum *Aetnæ*, tranſpoſitam eſſe inde ad vocabulum *Agurii*, certum eſt. Origo huius opidi tam vetuſta eſt, uti Herculis id fabulis admiſcuerint priſci mortales. qua de re ita ſcribit Diodorus lib. IIII, in peregrinationibus ſive expeditionibus Herculis: Πρὸς δὲ τοὺς τιμῶντας αὐτὸν οἰκείως διατεθέμενος, ἀπέλιπε παρ' αὐτοῖς ἀθάνατα μνημεῖα τῆς ἑαυτοῦ παρουσίας· ὧν ἴδιόν τι συνέβη γενέσθαι περὶ τὴν πόλιν τῶν Ἀγυριναίων. ἐν ταύτῃ γὰρ τιμηθεὶς ἐπίσης τοῖς Ὀλυμπίοις θεοῖς πανηγύρεσι καὶ θυσίαις λαμπραῖς, καίπερ κατὰ τοὺς ἔμπροσθεν χρόνους οὐδεμίαν θυσίαν προσδεχόμενος, τότε πρῶτος συνεδόκησε, τοῦ δαιμονίου τὴν ἀθανασίαν αὐτῷ προσημαίνοντος. ὁδοῦ γὰρ οὔσης οὐκ ἄπωθεν τῆς πόλεως πετρώδους, αἱ βόες τὰ ἴχνη καθάπερ ἐπὶ κηροῦ τινος ἀπετυποῦντο. ὁμοίως δὲ καὶ αὐτῷ Ἡρακλεῖ τούτου συμβαίνοντος, καὶ τοῦ ἄθλου δεκάτου πληρουμένου, νομίσας ἤδη τι λαμβάνειν τῆς ἀθανασίας, προσεδέχετο τὰς πληρουμένας ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων κατ' ἐνιαυτὸν θυσίας. διόπερ τοῖς εὐδοκιμουμένοις τὰς χάριτας ἀποδιδοὺς, πρὸ μὲν τῆς πόλεως κατεσκεύασε λίμνην, ἔχουσαν τὸν περίβολον σταδίων τεσσάρων, ἣν ἐπώνυμον αὐτοῦ καλεῖσθαι προσέταξεν. ὡσαύτως δὲ καὶ τῶν βοῶν τοῖς ἀποτυπωθεῖσιν ἴχνεσιν τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ προσηγορίαν ἐπιθεὶς, τέμενος καθιέρωσεν ἥρωϊ Γηρυόνῃ, ὃ μέχρι τοῦ νῦν τιμᾶται παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις. Ἰολάῳ τε, τῷ ἀδελφιδῷ, συστρατεύοντι, τέμενος ἀξιόλογον ἐποίησε, καὶ τιμὰς καὶ θυσίας κατέδειξεν αὐτῷ γίνεσθαι κατ' ἐνιαυτὸν, τὰς μέχρι τοῦ νῦν τηρουμένας. πάντες γὰρ οἱ κατὰ ταύτην τὴν πόλιν κατοικοῦντες ἐκ γενετῆς τὰς κόμας ἱερὰς Ἰολάῳ τρέφουσι, μέχρις ἂν ὅτου θυσίαις μεγαλοπρεπέσι καλλιερήσαντες τὸν θεὸν Ἰόλαον κατασκευάσωσι. τοσαύτη δ' ἐστὶν ἁγνεία καὶ σεμνότης περὶ τὸ τέμενος, ὥστε τοὺς μὴ τελοῦντας τὰς εἰθισμένας θυσίας παῖδας, ἀφώνους γίνεσθαι, καὶ τοῖς τετελευτηκόσιν ὁμοίους. ἀλλ' ὅτοι μὲν, ἐὰν εὔξηταί τις ἀποδώσειν τὴν θυσίαν, καὶ ἐνέχυρον τῆς θυσίας ἀναδέξῃ τῷ θεῷ, παραχρῆμα ἀποκαθίστασθαι τοὺς τῇ προειρημένῃ νόσῳ κατεχομένους. Οἱ δ' οὖν ἐγχώριοι τούτοις ἀκολούθως, τὴν μὲν πύλην, πρὸς ᾗ τὰς ἀπαντήσεις καὶ θυσίας τῷ θεῷ παρέστησαν, Ἡράκλειαν προσηγόρευσαν· ἀγῶνα δὲ γυμνικὸν καὶ ἱππικὸν καθ' ἕκαστον ἔτος μετὰ πάσης προθυμίας ποιοῦσι. πανδήμου δὲ τῆς ἀποδοχῆς ἐλευθέρων τε καὶ δούλων γινομένης, κατέδειξαν καὶ τοὺς οἰκέτας, ἰδίᾳ τιμῶντας τὸν θεὸν, θιάσους τε συνάγειν, καὶ συνιόντας εὐωχίας τε καὶ θυσίας τῷ θεῷ συντελεῖν. Hoc eſt: *Singulari verò eos, qui honores ipſi exhibuerant, favore complexus, æterna ſuæ illic præſentiæ monimenta reliquit. ex quibus peculiare quoddam apud Agyrinenſium urbem factum. heic quidpe quum æquè ac deos cæleſteis magnificis eum feſtis atque ſacris incolæ demererent; tametſi nullum antehac ſacrificium admiſiſſet; tunc primùm tamen id probatum ratumque habuit: numine ſcilicet ipſo divinitatem jam ei portendente. namque haud procul ab urbe, in petricoſâ quadam viâ, haud ſecus quàm in cerâ, veſtigia boum impreſſa cernebantur. Id ipſum quum Herculi quoq; accideret, jam decimo certamine perfecto, immortalitatis partem ſibi tribui exiſtimans: annuum ſacrificii honorem ab incolis ſibi inſtitutum non repudiavit. Vti igitur gratiam pro honoribus ſibi tributis referret; lacum ante urbem,* IIII *ſtadiorum ambitu, nomine ſuo celebrem, effecit. notas item, boum ungulis expreſſas, de ſe adpellavit. atque tunc ædem heroi Geryoni conſecratam dedit: quam nunc quoque religioſè incolæ colunt. Iolao inſuper, ex fratre nepoti, expeditionis ſocio, celebre illic fanum exſtruxit; & annuo ſacrorum cultu, qui hodiéque obſervatur, venerandi eum auctor fuit. omnes quidpe huius urbis incolæ ſacras Iolao à primo ortu comas nutriunt; quoad magnificâ eas litatione obſerant. Ac tanta eſt huius templi ſanctimonia, tanta maieſtas, ut, qui recepta ſacra pueri non obeunt, vocem amittant, & exanimatis ſimiles fiant. quamprimùm verò quis dato pignore ſacrum debitum voveat; ægri continuò ſanitati priſtinæ reſtituantur. Quamobrem cives portam, ubi rem divinam faciunt, Heracleam indigetarunt. gymnicos etiam & equeſtreis ludos unoquoque anno enixis ſtudiis edunt. quò quum ex omni certatim populo ingenui pariter ac ſervi confluant; privatum dei cultum vernas edocuerunt: ut ſolenneis nimirum thiaſos celebrent; epulaſque ac ſacrorum ritus ſeorſim congreſſi peragant.* Ergo Agyrium unum eſt ex antiquiſſimis Siciliæ opidis. quidpe Herculem ſub initium belli Troiani periiſſe, tradunt fabulæ: id eſt, CCCCLX fermè annis antè, quàm Græci colonias in inſulam deducere cœperint; quos anno à Troiâ captâ CCCCXLVIIII huc trajeciſſe, ſuprà, lib. I, cap. II, docui. Prima hinc eius mentio fit ab eodem Diodoro lib. XIIII; ubi Dionyſius, Syracuſanorum tyrannus, Syracuſis à civibus ſuis obſeſſus, Campanos, Carthaginienſium mercenarios, ex occidentali inſulæ parte ad ſolvendam obſidionem acceſſit. Οἱ δὲ Καμπανοὶ, inquit, ταῖς ἐπαγγελίαις μετεωρισθέντες, τὸ μὲν πρῶτον ἐπ' Ἀγύριον παρεγενήθησαν· ἐκεῖ δὲ τὴν ἀποσκευὴν Ἀγύρει παραθέμενοι, τῷ δυναστεύοντι τῆς πόλεως, ἐξώρμησαν ἐπὶ Συρακούσας. Id eſt: *Campani, promiſſis excitati, Agyrium primò contendunt: atque illic depoſitis apud Agyrim, urbis principem, impedimentis, Syracuſas inde advolant.* Factum hoc eſſe primo anno Olympiadis XCIIII, ipſe Diodorus ibidem teſtis eſt. is autem annus fuit ante Chriſtum natum CCCCIIII. Eodem libro poſteà ita de Dionyſio narrat Diodorus: Πρὸς Ἄγυριν δὲ, τὸν Ἀγυριναίων τύραννον, συνθήκην ἐποιήσατο. Id eſt: *Cum Agyri, Agyrinenſium tyranno, fœdus percuſſit.* Factum id, ut ſuprà dixi, anno primo Olympiadis XCVI, Phormione ſummum Athenis gerente magiſtratum; id eſt, anno ante natum Ieſum Chriſtum CCCXCVI. Ab ſimilis nominis conditore an urbs primùm adpellationem Agyrii acceperit, nihil habeo, quod adfirmem. Cæterò frequentem florentemque jam tum ſub Agyri fuiſſe urbem, eodem libro poſteà teſtatur Diodorus. Παραγενόμενος δὲ, inquit, ὁ Διονύσιος ἐγγὺς τῶν πολεμίων, διεπρεσβεύσατο πρὸς Ἄγυριν, τὸν δυναστεύοντα τῶν Ἀγυριναίων. οὗτος δὲ τῶν τότε τυράννων ἐν Σικελίᾳ μεγίστην εἶχε δύναμιν μετὰ Διονύσιον. τῶν τότε γὰρ περικειμένων ἐρυμάτων σχεδὸν ἁπάντων ἐκυρίευσε, καὶ τῆς πόλεως τῶν Ἀγυριναίων ἦρχε, πολυοχλουμένης καθ' ἐκείνους τοὺς καιρούς· εἶχε γὰρ πολίτας οὐκ ἐλάττους δισμυρίων. ἦν δὲ καὶ εἰς τοῦτο τὸ πλῆθος ἐν τῇ πόλει συνηθροισμένων χρημάτων πολλῶν κατὰ τὴν ἀκρόπολιν παράθεσις, ἣν Ἄγυρις ἠθροίκει, πεφονευκὼς τοὺς εὐπορωτάτους τῶν πολιτῶν. Id eſt: *Iam non longè à caſtris hoſtium aberat Dionyſius, quum legatos ad Agyrim, Agyrinenſium principem præmiſit. Hic tum temporis maximam inter Siciliæ tyrannos, ſecundum Dionyſium, potentiam habebat. nam & omnibus ferè circumjacentibus caſtellis dominabatur; & Agyrinenſium urbs, cui imperitabat, populoſiſſima per eam tempeſtatem erat: quidpe quæ non minus* XX *millia civium alebat. quin etiam ſufficiens tantæ in urbe multitudini commeatus præparatus, & ingens pecuniarum vis in arce repoſita erat; quam ex cæde opulentiſſimorum civium Agyris lucrifecerat.* Ac poſteà, lib. XVI, de Timoleonte ita ſcribit: Νικόδημον μὲν, τὸν Κεντοριπίνων τύραννον, καταπληξάμενος, ἐξέβαλεν ἐκ τῆς πόλεως· Ἀπολλωνιάδην δὲ, τὸν Ἀγυριναίων δυνάστην, παύσας τῆς τυραννίδος, τοὺς ἐλευθερωθέντας Συρακουσίους ἐποίησε. καθόλου δὲ πάντας τοὺς κατὰ τὴν νῆσον τυράννους ῥιζολογήσας, καὶ τὰς πόλεις ἐλευθερώσας, εἰς τὴν συμμαχίαν προσεδέξατο. Κηρύξαντος δ' αὐτοῦ κατὰ τὴν Ἑλλάδα, διότι οἱ Συρακούσιοι διδόασι χώραν καὶ οἰκίας τοῖς βουλομένοις μετέχειν τῆς ἐν Συρακούσαις πολιτείας, πολλοὶ πρὸς τὴν κληρουχίαν Ἕλληνες ἀπήντησαν. πλῆθος δὲ οἰκήτορες ἀπεδείχθησαν, εἰς μὲν τὴν Συρακουσίαν τὴν ἀδιαίρετον τετρακισμύριοι, εἰς δὲ τὴν Ἀγυριναίαν μύριοι, διὰ τὸ μέγεθος καὶ κάλλος τῆς χώρας. * . * . * . Ἐν δὲ ταῖς ἐλάττοσι πόλεσιν, ἐν αἷς ἡ τῶν Ἀγυριναίων καταριθμεῖται, μεταλαχοῦσα τῆς τότε κληρουχίας διὰ τὴν προειρημένην ἐκ τῶν καρπῶν εὐπορίαν, θέατρον μὲν κατεσκεύασε μετὰ τὸ Συρακουσίων, κάλλιστον τῶν κατὰ Σικελίαν, θεῶν τε ναοὺς καὶ βουλευτήριον καὶ ἀγορὰν, ἔτι δὲ πύργων ἀξιολόγων κατασκευὰς, καὶ τάφους πυραμίδων πολλῶν καὶ μεγάλων, διαφόρων ταῖς φιλοτεχνίαις. Hoc eſt: *Nicodemum, Centuripinorum tyrannum adeò perterrefecit, ut ex urbe profugeret. tum Apolloniadem, Agyrinenſium principem, dominatu ſe abdicare coegit; populum verò in libertatem vindicatum, Syracuſanâ civitate donavit. omnibus denique tyrannis per inſulam exſtirpatis, civitates ab illis oppreſſas liberavit, ac ſocietatis fœdere ſibi adſtrinxit. Hinc præconis voce per Græciam proclamari juſſit, ſenatum populumque Syracuſanum agros domoſque offerre omnibus, qui reipublicæ Syracuſanæ membra fieri cupiant. quo factum, uti plurimi ad novæ veluti hereditatis ſortitionem convolarent. In Syracuſanam igitur communionem, ſorti diviſionis nondum ſubjectam, quadragies mille, in Agyrinenſem, quòd ager ibi ampliſſimus & ſingularis regionis amœnitas eſſet, decies mille coloni deſignantur.* Et aliquanto pòſt: *In minoribus autem civitatibus, quibus Agyrinenſium urbs connumeratur, quæ ob prædictam frugum abundantiam novos & ipſa colonos ad diviſionem agrorum accepit, theatrum, poſt Syracuſanum, omnium totâ Siciliâ pulcerrimum, deûmque fana & curiam cum foro, item turreis magnifici operis, monimentorumque pyramides ingenti mole eximiâq; arte ſpectandas, excitavit.* Poſterioribus etiam temporibus celebrem fuiſſe urbem, patet ex Excerptis legationum ex Diodori lib. XXII. Hinc etiam ſuâ poſtmodùm ætate Cicero, in Verrinâ III, ita refert: *Ac primùm de Agyrinenſi populo, fideli & illuſtri, cognoſcite. Agyrinenſis eſt in primis honeſta civitas Siciliæ, hominum ante hunc prætorem locupletium, ſummorumque aratorum. eius agri decumas quum emiſſet: idem Apronius Agyrium venit.* Et eâdem actione poſteà: *Agyrinenſis ager (quorum hominum! quàm locupletium!) ducentos quinquaginta aratores habuit primo anno præturæ tuæ.* Sed præ omnibus aliis rebus maximè celebrem reddidit Agyrinenſis urbis memoriam nativitas ipſius Diodori; cui ferè uni omnem antiquitatis memoriam & olim debuerunt Siculi, & in hanc uſque diem debent. Is ſub initium operis ita ſcribit: Ἡμεῖς γὰρ ἐξ Ἀγυρίου τὸ γένος τῆς Σικελίας ὄντες, καὶ διὰ τὴν ἐπιμιξίαν τοῖς ἐν τῇ νήσῳ πολλὴν ἐμπειρίαν τῆς Ῥωμαίων διαλέκτου περιπεποιημένοι, πάσας τὰς τῆς ἡγεμονίας ταύτης πράξεις ἀκριβῶς ἀνελάβομεν ἐκ τῶν παρ' ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων. Hoc eſt: *Nos enim ex Agyrio Siciliæ opido oriundi, & propter commercia Romanorum in inſulâ magnam Romanæ linguæ cognitionem adepti, ex commentariis eorum, à longo inde tempore adſervatis, omneis imperii huius res geſtas adcuratè deſumſimus.* Hinc Svidas: Διόδωρος, Σικελιώτης, ἱστορικὸς, ἔγραφε Βιβλιοθήκην. ἔστι δὲ ἱστορία Ῥωμαϊκή τε καὶ ποικίλη, ἐν βιβλίοις μ΄. γέγονε δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Αὐγούστου Καίσαρος καὶ ἐπάνω. Id eſt: *Diodorus Siculus, hiſtoricus, ſcripſit Bibliothecam: quæ eſt hiſtoria Romana ſimul ac varia, libris* XL *comprehenſa. Fuit autem temporibus Auguſti Cæſaris, & ſuprà.* Ipſe Diodorus, prædicto loco paullo pòſt: Ἐν ᾗ ταῖς ἑξῆς εἴκοσι καὶ τρισὶ βίβλοις τὰς λοιπὰς ἁπάσας κατετάξαμεν πράξεις, μέχρι τῆς ἀρχῆς τοῦ συστάντος πολέμου Ῥωμαίοις πρὸς Κελτούς· καθ' ὃν ἡγούμενος Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ, κατεπολέμησε μὲν τὰ πλεῖστα καὶ μαχιμώτατα τῶν Κελτῶν ἔθνη, προεβίβασε δὲ τὴν ἡγεμονίαν τῆς Ῥώμης μέχρι τῶν Βρεττανικῶν νήσων. Id eſt: *In ſequentibus tribus ac viginti libris reliquas inde res geſtas cunctas digeſſimus, uſque ad initium belli à Romanis adversùs Gallos excitati: quo imperator C. Iul. Cæſar, plurimis pugnaciſſimis Gallorum gentibus debellatis, imperium Romanorum ad Britannicas uſque inſulas prolatavit.* Atque hæc ferè ſunt, quæ de Agyrinæ urbis vetuſtate celebritateque in veterum monumentis adnotata reperiuntur. Exſtabat equidem etiam apud Thucydidem antiquiſſima eius ac prima poſt ſuprà ſcriptas de Hercule fabulas memoria; ni locus is auctoris corruptus fuiſſet. Verba eius lib. VII leguntur iſta: Οἱ δ᾽ ἐκ τῶν Συρακουσῶν τότε μετὰ τὴν τοῦ Πλημμυρίου ἅλωσιν πρέσβεις οἰχόμενοι ἐς τὰς πόλεις, ἐπειδὴ ἔπεισάν τε καὶ ξυναγείραντες ἔμελλον ἄξειν τὸν στρατὸν, ὁ Νικίας προπυθόμενος, πέμπει ἐς τῶν Σικελῶν τοὺς τὴν δίοδον ἔχοντας, καὶ ξυμμάχους Κεντόριπάς τε καὶ Ἀλικυκαίους καὶ ἄλλους, ὅπως μὴ διαφρήσωσι τοὺς πολεμίους, ἀλλὰ ξυστραφέντες κωλύσωσι διελθεῖν. ἄλλῃ γὰρ αὐτοὺς οὐδὲ πειράσειν· Ἀκραγαντῖνοι γὰρ οὐκ ἐδίδοσαν διὰ τῆς ἑαυτῶν ὁδόν. Πορευομένων δ᾽ ἤδη τῶν Σικελιωτῶν, οἱ Σικελοὶ, καθάπερ ἐδέοντο οἱ Ἀθηναῖοι, ἐνέδραν τινὰ τριχῇ ποιησάμενοι, ἀφυλάκτοις τε καὶ ἐξαίφνης ἐπιγενόμενοι, διέφθειραν ἐς ὀκτακοσίους μάλιστα, καὶ τοὺς πρέσβεις, πλὴν ἑνὸς τοῦ Κορινθίου, πάντας. οὗτος δὲ τοὺς διαφυγόντας ἐς πεντακοσίους καὶ χιλίους ἐκόμισεν ἐς τὰς Συρακούσας. Hoc eſt: *Legati Syracuſanorum, qui poſt expugnatum Plemmyrium adierant civitates, quum illis oratione perſvaſiſſent, jamque exercitum, quem comparaverant, adducturi eſſent: eâ de re certior factus Nicias, mittit ad eos Siculos, apud quos transitus erat, & ad ſocios Centoripas Alicycæosque & alios, ne illos transire permittant; ſed congregati prohibeant. nec enim aliâ viâ transire conaturos. nam Agrigentini per ſuos fineis iter denegabant. Itaque Siculi, quemadmodùm rogati ab Athenienſibus erant, Sicilienſibus jam iter ingreſſis inſidias tendunt tribus in locis: ac repentè incautos adgreſſi, ad octingentos fermè occiderunt; omneisque cum ipſis legatos, præter unum Corinthium. qui eos, qui elapſi erant, ad mille & quingentos, perduxit Syracuſas.* Heic quum obſcuri eſſent, nec ulli alii memorati auctori, iſti Ἀλικυκαῖοι, *Alicycæi*; haud dubitarunt noſtri ſæculi Siciliæ ſcriptores vocabulum id corrigere in Ἀλικυαῖοι, *Alicyæi*, opidumque inde facere circa Aetnam montem & Centuripas *Alicyam.* quorum opinioni etiam Fazellum acceſſiſſe, eo magis miror, quòd is *Alicyam* Ciceronis apud Tuſam fuiſſe tradiderit; ubi nos veterem urbem Alæſam exſtitiſſe, ſuprà indicavimus. Sanè una ſola priſcis memoratur mortalibus in Siciliâ urbs plurali numero Ἀλικύαι, *Halyciæ*; ab amne præfluente *Halyco* dicta. quam haud procul Lilybæo fuiſſe promontorio, ubi nunc *Salemi* conſpicitur opidum, pòſt ſuo loco oſtendam. Hanc verò Thucydidem non intellexiſſe, ipſe ſitus in extimâ inſulæ parte ſatis manifeſtè indicat. quidpe Σικελοὺς adpellaſſe Græcos ſcriptores ipſos Siciliæ inſulæ indigenas; Σικελιώτας autem, transgreſſos in eam ex Græciâ Græcos colonos, ſuprà lib. I, cap. II, docuimus. ex his verò Ἕλλησι Σικελιώταις, ſive, ut Romani adpellarunt, *Græcis Sicilienſibus*, quum ultra Agrigentinos uni incoluerint ad Africum mare *Selinuntii*, ad Tuſcum *Himerenſes*; ultra horum fineis Phœnicibus cum Carthaginienſibus Motyam, Panormum, ac Solûntem, Elymis verò Erycem, Egeſtam, atque Entellam, poſtrema verſùs Solis occaſum inſulæ opida tenentibus: nullum Selinuntiis Himerenſibusque per prædictum opidum Halycias fieri potuit iter, Syracuſas cum exercitu tendentibus. Quapropter nihil certius, quàm corruptum id eſſe Ἀλικυκαίων vocabulum; quemadmodùm de voce Κεντόριπας jam anteà docui: reſtituendumque eſſe in genuinum illud Ἀγυριναίων, id eſt, *Agyrinenſium:* quorum fines Centuripinorum agro fuêre contermini. Atque hanc correctionem firmat illa quoque Diodori hiſtoria de Campanis militibus, qui, ex occidentali inſulæ parte Syracuſas à Dionyſio vocati, per eosdem Agyrinenſis opidi fineis iter fecerunt. Sed & Carthaginienſis exercitus poſteà ex eâdem inſulæ parte profectus, eâdem hac per Agyrinenſem agrum viâ Syracuſas contendit. ſic quidpe narrat Diodorus eodem lib. XIIII poſteà: Μάγων μὲν οὖν διὰ Σικελῶν προελθὼν, καὶ τὰς πλείστας πόλεις ἀποστήσας τοῦ Διονυσίου, κατεστρατοπέδευσεν ἐν τῇ τῶν Ἀγυριναίων χώρᾳ παρὰ τὸν Χρύσαν ποταμὸν, ἐγγὺς τῆς ὁδοῦ τῆς φερούσης εἰς Μοργαντίναν. οὐ γὰρ Ἀγυριναίους οὐ δυνάμενος εἰς συμμαχίαν προσλαβέσθαι, τῆς εἰς τοὔμπροσθεν ἐπέσχε πορείας, ἀκούων τοὺς πολεμίους ἐκ Συρακουσῶν ὡρμηκέναι. Id eſt: *Mago itaque per Siculorum fineis iter faciens, urbeis plerasque à Dionyſio alienavit; ac tandem in Agyrinenſium agro, ad Chryſam flumen, juxta viam qua Morgantinam itur, caſtra poſuit. quum enim Agyrinenſeis in ſocietatem pellicere aut cogere non potuiſſet; ulteriùs progredi deſiit; quia hoſtem jam è Syracuſis contra ſe tendere audiebat.* Sed de Agyrio opido hactenus ſatis.

CAP. VII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN